


05 A 2487

05

A

2487



(20.)

7

Q. B. V.

ECLOGA EVANGELICA  
**FEST. TRINITATIS**

Qvam.

V. D.

SUB PRÆSIDIO

**JO. FRID. MAYERI;**  
SS. THEOL. D. P. P. ORD.

P. P.

**M. DANIEL HEINRICUS SCHACHT,**  
LUBECENSIS.

d. XII. Junii Ao. cl. Ie LXXXVI. in Audit. Theol.

WITTENBERGÆ

Imprimebat MATTHÆUS HENCKELIUS, Acad. Typogr.

HERSTELLERDRUCKEREI  
JO. HEINR. MAYER



05 A 2487



## JESU FORTUNANTE!

Qv. I.

Quis Nicodemus?

Unqvid frater Josephi Arima-  
thæi? in hanc qvidem sententiam in-  
clinat *Jacobus Altingius* Vir accurati  
alias Judicij & multæ pariter lectionis in  
tract. Schiloh p. 308. locum ex Davide  
Ganzio allegans , qvod *Josephus filius*  
*Gorionis Sacerdos* , qvi vocatur *Josip-*  
*pon*, fuerit frater *Nicodemi filii Gorionis*, memorati in  
tract. *Talmudico Taanith*. qvo autem Josepho notari A-  
rimathæum his conjecturis nititur: cum à Ganzio Sacer-  
dos asseratur; Sacro autem codice Arimathæus cognomi-  
netur, qvod à **תָּנַךְ** urbe *neqarun* & ipsi Samuelique  
Prophetæ communi patria , qvæ ab Evangelistis sub fron-  
te articulo aucta in *אֶלְעָגָדָה* abiit , deducendum foret.  
Istam autem , qvæ inter fratres Nicodemum & Josephum  
intercessit, necessitudinem ulterius probare vult, qvod u-  
terque Jesu discipulus sed metu Judæorum admodum oc-  
cultus , uterque ejus sepulchro adfuerit, uterque opulen-  
tus ; qvæ uberioris cit. loc. explicata legas. Apud Talmu-  
dicos occurrit Viri nomen *Nakdimon*, qvod à doctis non  
immerito redditur *Nicodemus*; qvod vocabulum Græ-  
cum priori effingendo Judæis occasionem dedit , qvan-  
quam illud suum origine tradant & ad illud obtinendum  
seqventem fabulam recensem, qvam habet tr. *Taanith*.

A 2

fol.

ECLOGA AD EVANGEL.

fol. 19. 2. & ex versione B. Scheidii quam Msstam possideo,  
ita sonat: Tradiderunt Rabbini: Aliqyando ascen-  
dentibus omnibus Israelitis ad festum solenne Hiero-  
solymam, non suppetente eis aqua, quam biberent, ibat  
Nicodemus filius Gorion ad dominum aliquem dicens ad  
eum: commoda mihi duodecim receptacula aquarum  
fontanarum pro eis, qui ascendunt Hierosolymam, & ego  
tibi vicissim dabo totidem fontes plenos aquis; si autem  
tibi non dem, ecce ego in me recipio ne daturum tibi  
duodecim talenta argenti: præfigebatur ei tempus rei  
præstandæ: postquam advenisset præfixum illud tempus,  
nec tamen adhuc descendissent pluviae in tempore oratio-  
nis matutinæ, mittebat vir ille aliquem ad Nicodemum,  
qui diceret ei: mitte mihi, aut promissas aquas, aut pecu-  
niæ quam mihi ex pacto debes. Remittebat ei Nicode-  
mus aliquem, qui diceret: adhuc mihi tempus est toto  
die, quem ex pacto præfixi mihi. Circa meridiem iterum  
vir ille mittebat aliquem ei, qui diceret: mitte mihi aut  
aqua aut pecuniæ, quam mihi ex pacto debes. Remit-  
tebat ei, qui diceret: adhuc mihi est mora in die sub  
tempus Minchæ circa ineuntem vesperam, hora circiter  
tertia vel quarta: mittebat denuo qui diceret: ei mitte  
mihi aut aquas aut pecuniæ, quam ex pacto debes mihi.  
Cui ille remittebat, qui diceret: est mihi adhuc mora  
in die. Quo audito, subridens ille dominus, dicebat: to-  
to anno non descenderunt pluviae & nunc descenderent.  
Ingressus ergo in balneum cum lætitia, jam quasi de cer-  
to obtenta illa pecunia sibi gratulabatur. Eo usque ex-  
spectaverat Nicodemus ille, dum cum lætitia sua hic in-  
gressus erat in balneum; tum ipse ingressus in domum

fan-

FEST. TRINITATIS.

sanctuarii, quum dolens, obvelato capite, stans in oratione coram Deo in hac verba erupisset : Domine mundi, manifestum & notum est coram te, me hoc non fecisse ad gloriam meam, neque ad gloriam domus paternæ; sed fecisse ad gloriam tuam, ut invenirentur aquæ adscendentibus Hierosolymam ad festa solennia. Quo dicto statim colligati erant coeli nubibus & descendebant pluviae, usque dum implerentur et illi fontes aquarum, & redundarent. Egresso domino illo e balneo Nicodemus e domo sanctuarii egressus, alter alteri occurrebat; tum Nicodemus ad Dominum illum dicebat : da mihi pretium aquæ superfluae quod penes te habeo. Cui ille respondebat : certe scio Deum optimum maximum non condemnasse mundum nimis pluviis immisis, nisi tui caissa, sed nunc habeo fiduciam adversus te, quod velim a te acceptam ferre pecuniam promissam, quia jam occidit sol ; (quia præ nimium spissis nubibus eum nemo videre poterat) & pluviae meis viribus descenderunt. Denuo Ergo Nicodemus ingressus in domum sanctuarii, obvelato capite, stans coram DEO in oratione, in hac verba erumperat : Domine mundi, notum fac, quod habeas dilectos in mundo tuo. Quo dicto, statim dispulsis nubibus, sol iterum se conspiendum exhibebat. Ea ipse hora dicebat ad Nicodemum Dominus ille : nisi perforatis nubibus sol iterum apparuisset, habuisset fiduciam contra te, efferendi e manibus tuis, mihi a te promissam pecuniam.

Quo sane ex loco ingentes conjici divitiæ ejusdem viri possunt, cum magnam vim pecuniarum pro redimendis aquarum fontanarum receptaculis exemplo obvulerit. Quod etiam probatur Tract. Gittin fol. 56.r. &

ELOGIA AD EVANGEL.

tanta opum frugumque copia eidem adscribitur, ut assūtis adhuc duobus aliis earundem facultatum dominis per 21. annos omnes Hierosolymitanos cives sustentare potuerit. Sic autem ex jam cit. Scheidio verba allegamus. Cum Vespasianus Hierosolymam obsidebat tres annos, erant in illa tres illi diuites, (1) Nicodemus filius Gorion, (2) Filius Kalbæ Sabuxæ, & (3) filius Zizith Hakcæseth. Nakdimon filius Gorion ita dictus erat: quia נקדרה perforatus ei erat sol propter ipsum: (Glossa legit בקרת perforatus erat, seu ex dispulsis nubibus ortus erat) &c. Habebant tres hi divites tantam commeatus copiam, ut unus eorum diceret ad Rabbinos: ego alam eos tritico & hordeo. Alter autem diceret: ego, quæ pertinent ad vinum & oleum suppeditabo. Tertius autem diceret: ego, quæ ad ligna pertinent, subministrabo &c. Habebant 3, illi divites tantam copiam commeatus tritici, hordei, vini, & ligni; ut sustentare potuissent omnes cives Hierosolymitanos 21. annos.

Ceterum hoc nomen Nicodemi non ipsi proprium fuisse volunt, sed potius Bonaj, quem ipsi inter discipulos Christi numerant Judæi. Ita enim in tract. Sanh. c. 6. f. 43. 1.

תְּרַחֲמָה תְּלִמְיוֹדֵת הָז לֹא לְשׁוֹן מְתָאֵי נְקָדֵי נְצָר  
tradiderunt Magistri nostri: quinque discipuli fuerunt ipsi Jesu, Matthai, Nakai, Nezer, & Boni & Todab. Quo nomine convinci posse putat Altingius cit. loc. p. 315. Nicodemum nostrum cum Nakdemon & Bonaj Talmudico convenire, ut unus asseratur. Non e-  
videm movemur Judæorum rationibus & factis anno-  
rum computationibus, quibus hæc negatum eamus; cum

sa-

FEST. TRINITATIS

satis constet difficiles quin etiam imperitissimos compo-  
nendorum temporum artifices eosdem esse; multa etiam  
negari malitia & odio adversus Christum, ne quosdam  
profiteri de suis necessum habeant, qui Christo adhaerint:  
illis tamen argumentis utrumque nondum confici puta-  
mus & doctæ potius ignorantia accuratiorem Nicodemi-  
anæ familiæ cognitionem reservamus. Hisce autem lu-  
bentissime Altingii p. 308. subscribimus, quod professione  
Phariseus, ex primoribus Iudeorum, Magister Israëlis, mem-  
brum Synedrii summi &c. Joh. 3.1. 10. c. 7. 50. fuerit, &  
agnita veritate cœlitus delapsa Christum quanquam timi-  
duscule Dominum salutarit Messiamque salutis unicum  
larginorem, postea ejusdem publicum suscepere patroci-  
nium Joh. 3.c. 7. 50. cum hæc, scriptura præeunte, salva  
veritate tutoque asserere liceat. Hac de causa quidam  
eum officiis orbatum dicunt opibusque & honoribus ex-  
utum; ceu ex Luciano de inventione corporis Sancti Ste-  
phani ex ore Gamalielis Cornel. à Lapide in Joh. c. III. p. 188.  
habet. Cognoscentes Iudeillum (Nicodemum) eßò Chriſtia-  
num, amoverunt eum è principatu suo & anathematiza-  
verunt eum, & de civitate exulaverunt. Tum ego Gama-  
liel quasi persecutionem pro Christo passum, sustuli eum in  
meum agrum, & alii & vestivi, usque ad finem vite eius,  
& defunctum honorifice sepeliri juxta Dominum Ste-  
phanum.

Qv. II.

An Christianorum infantes non baptizati  
condeminentur?

Hanc quæstionem multi sibi movent & in illa deci-  
denda cujusque religionis homines desudant. Pon-  
tificiæ maturæ misericordiae hostes hic prorsus omnem  
ipsi

ECLOGA AD EVANGEL.

ipsis salutem negant & cum sacri baptismatis fonte  
tincti non sint, regno cœlorum excludunt. Ita e-  
nī Angelicus Doctor suis dictus, *Thomas* part. 3. qvæst.  
65. art. 4. scribit, *baptismum ad salutem necessarium esse, ne-  
cessitate simplici & absoluta*, qvem ante magister lechten-  
tiarum *Petrus Lombardus* dist. 1. lit. L. M. p. 294. rem di-  
lucidius exhibuit. Si queritur, inquit, de parvulis, qvē  
ante diem octavum moriebantur, antequam fiebat circum-  
cisio ex lege, utrum salvarentur vel non? idem potest re-  
sponderi, qvod sentitur de parvulis ante baptismum defun-  
ctis, quos perire constat. Hac autem postea *Gregorius de Va-  
lentia*, inepto satis *Clementis VIII.* Papa judicio Doctor Do-  
ctorum nuncupatus ceu *Adam Conzenius Lojolita V. Po-  
litic. I.* habet, T. 4. in *Thomam* disp. 4. de Sacram. Baptismi  
qv. 3. punto 4. pag. 815. plenisime approbavit, alibi  
autem de iisdem lenius sensit, uti habet *B. Dan-  
bavver.* Ms. 5410 fol. pag. 577. Approbavit quoque *Bellar-  
minus* L. 1. de sacram. baptismi cap. 4. ad exemplum  
Tridentinorum Patrum. In qvo *Petrobusiani Hen-  
ricianique* heretici Pontificis, ut in aliis dogmatum  
Ecclesiæ Romanæ erroribus alii Pseudo-Christiani Do-  
ctors præiverunt, dudum præluserunt, notante *B. Affel-  
manno* Syntagm. p. m. 816. A qvibus orthodxi merito  
dissentient & infantes hos salvari utique affirmant. 1. in-  
scriptura Vet. Fœderis apertissimum habemus exemplum.  
*Davidis enim filius ex impuro cum Bathseba concubitu  
prognatus 7. a nativitate die mortuus in circumcisus obiit  
adeoque nec sigillum fœderis divini in corpore suo obtinu-  
it. Octavum enim a nativitate diem circumcisioni per-  
agendæ fuisse consecratum sacra litteræ satis docent.*  
Qui ergo ante illum sunt defuncti, incircumcisū obierunt.

Nihi-

mlqj



## FEST. TRINITATIS.

Nihilominus David se ad filiolum certo esse venturum testatur 2. Sam. 12, 23. ad quem abire non desiderasset, si non sanctorum cœtui in coelo insertum novisset. II. latro cum Christo cruci affixus Luc. 23. v. 43. vi promissio-nis Christi mortis suæ articulo, quo obiit, in cœlum abiit nondum baptizatus. Non enim baptizatus fuit, anteqvam in crucem ageretur, quia tum poenitentia carebat, qua autem destitutus adulorum nemo baptizari potuit. Neque post crucem, quia tum spiritum tam exhalavit; non in cruce, quasi, ceu nonnullis visum fuit, aqua ex Christi latere profusa suisset tinctus; quod ipse Suarez T.I. Disp. 26. qv. 49. confutat, *vix, inquis, credibile est aquam tanto impetu e latere exiluisse, ut latrone attingeret, præsertim si verum est bunc latronem dextram Christi tenuisse, aqua vero de late-re Christi sinistro manasse.* conf. B. Danhaw. Hodosoph. p. 997.

Nihil probat, quod baptisimi defectus ab ipso compensatus fide fuerit. Nam & infantes fidem habent: ut ut autem ordinario cursu Spiritus sanctus per baptismum in illis fidem operetur, illis Deus, quos ante baptismū recipit, extraordinarie spiritum S. confert, ut, quemadmodum in matris utero Johannem spiritu S. donavit Luc. I. qui genita in illis fide gratos Deo efficit liberos, fine qua alias ipsi placere nemo poterit. Recte in hanc sententiam Meisn. scribit anthropol. disp. VII. qv. 1. §. V. Statuunt orthodoxi, quod, sicut Deus Johannem Baptistam in utero materno fide donavit, ita eandem aliis Christianorum liberis à baptismō ob necessitatis casum exclusis conferat & sic ob meritum Christi fide apprehensum peccatum originale remittat eosq; eternum salver. At, inquis, absolute baptismus hominibus conferendus injungitur; quo non tincti non possint salvare: ita enim Christus Joh. 3,5. nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non potest ingredi in regnum Dei. Observat optime B. Danhaw. hodoſ. p. 994. exceptivam in hanc expōnen-

ponentem resolvi debere. Nullus ab amissis introibit in regnum cœlorum, ab amissis privative, qui cum posset ac debet baptizari, tamen consilium Dei adversus semetipsum aspernatur. Nam ut negative accipiatur ac infinite de omnibus non baptizato simpliciter, id non permittit scopus Evangelii generalis, qui est consolatio. 2. scopus particularis colloquii Christi, qui est elencticus Pharisaismi, contemnitis Consilium Dei de baptismō. 3. Salvatoris limitatio. Marc. 16. 16. 4. Patri celestis in infantes inclinatio &c. quæ I.c. uberius deducta invenies. Salvantur ergo infantes mortui, ut non baptizati: in cuius gratiam quod conferas Meisn. anthropol. Disp. 7. quæst. 1.

## QV. III.

An & quid sit limbus puerorum?

Loquimur rem ex sententia Pontificiorum, qui affir-  
mant illum dari & pro eo ceu pro aris ac focis depu-  
gnant. Dari cum omnes in universum sentiunt: descri-  
ptum eum accipe verbis Bellarmini l. 6. de amiss. grat. c. 2.  
sect. 28. locus, inquit, eorum (infantum) est carcer inferni,  
locus horridus & tenebrosus. Quatuor alias terræ interioris  
loca Pontificiis effinguntur, quæ damnatorum domici-  
lia, quæque singula sibi destinatos complexa conservent  
diversis poenis cruciandos: infernum, Limbum infan-  
tum, Purgatorium, Limbum Patrum, dicunt, quorum tria  
ultima meram esse fabulam certo asserimus, infernum au-  
tem hoc sensu Pontificiis effictum volumus dici, non ac  
ille nobis negetur, sed quod in terræ visceribus ponatur, cū  
terra peritura sit, infernus autem æternum duratures Matt.  
25. v. 41. & 46. Liceat autem hæc domicilia ex penu Ponti-  
ficio figuramentis mendacissimis & impietibus plenisimo de-  
scribere. Sic autem Sebastianus Barradius Jesuita (eruditio-  
nis quidem non contemnenda laudibus clarus, istam au-  
tem gloriam anili sapius & deridenda superstitione ma-

cu-



FEST. TRINITATIS.

culans, de qvib. Philipp. Alegambe in Biblioth. scriptorum societ. Jes. in Vita ejus: qvi in perpetuum ejus honorem hæc recitasse vult videri) in Concord. Evangel. Tom. 3. L. 4. c. 5. hanc rem conficit. Sunt, inquit, in visceribus loca quatuor, ut docent Theologi. *In simus locus tartarus est, in quo flammis sempiternis damnati cruciantur. Secundus propinquior tartaro infantum carcer, quorum maculam originalem baptismi salutaris aqua non elat. Tertius purgatorium appellatur, in quo justi qui aliquid fecerunt ex hac vita ferunt, instar auri, fornace expurgantur. Supremus limbus dicitur, qui iustorum animas continuit omni peccato peccatique reliquis carentium, usque ad Christi resurrectionem.* Locum autem infantum non baptizatorum & demortuorum domicilium limbum dicunt, quod sicut limbus Latinis extrema pars vestis muliebris sit imos pedes contingens, vel potius fascia extremitatem vestium circum quaque ambiens; sic carcer hic infantum ultimus tartari locus & eidem propinquior, non quidem intra inferni mœnia receptus. In hunc descendere infantes non solum gentium, sed & Judæorum, Mahummedanorum ceterorumque infidelium, quin & Christianorum omnium, non saltem impiorum, hypocritarum, hæreticorum, sed vere etiam credentium sanctissimorumque hominum liberos, si baptismo destituti moriantur. Quænam illos poena ibi premat, non inter ipsos convenit. Dissidia Cadmæorum fratrum in Synodo Tridentina hoc nomine exercita recenset Petrus *Suaris Polanus* sive isto nomine tectus *Paulus Sarpius* Servita Théologus Venetus, ceu inter eruditos jam constat, in histor. Concil. Trident. p. 201. his verbis: *de pœna infantum sine baptismo decadentium Theologis in concil. Trident. congregatis, non satis inter se conveniebat, Dominicanis afferentibus, infantes absque baptismo ante usum rationis morientes, post resurrectionem in limbo & tenebris, loco subterraneo, sed sine igni permanuros, Franciscanis vero locum iis super terram & in luce afferentibus: nonnullis etiam affirmantibus, philosophiae studio & rerum naturalium cognitioni incubituros, & singularem eam voluptatem, qua homines in rebus ad inveniendis ingeniosi & solerter animum explorare amant, percepturos. Catharimus insuper addebat, à sanctis angelis beatissime visitarum consolatumque iri aliquaque id genus figura in medium afferebant ad risum quam ad stomachum aptiora. Catharini hujus sententiam amplius probamus ex libr. ejus de statu pueroruū sine baptismo decadentiu-*

C. 2.



ECLOGA AD EVANGEL. FEST. TRINITATIS.

c. 2. sect. 42. parvulos dicit cum originali peccato decedentes, non solum carituros omni dolore, cum interno, tum externo, sed etiam beatos ac felices in quodam veluti terrestri paradiſo perpetuo vitam aeturos, plenos sapientia & virtutibus, sua sorte optime contentos, Deum totum corde diligentes & laudantes angelorum denigis, consortio & revelationibus saepe fruentes. Quem assensu suo excipit Alphonsus Salmeron in Röm. c. 5. disp. 48. sect. 8. Coronaeus medicus in lib. de baptismo apud Chamier. Panstrat. Tom. 3. L. 6. c. 2. sect. 6. Thomas qvæst. 5. de malo art. 1. 2. 3. paululum severior, ejusmodi infantes æterna morte afferit damnari, ita tamen ut poenam damni tantum luant nec patiantur dolorem ullum vel internum vel externum. Alii ut Bonaventura eos quidem ignis cruciatibus aut vermis conscientia morsibus non obnoxios dicunt, dolore tamen omni interno, quod visione Dei beatifica destituantur, non volunt liberos pronunciare. Gregorius autem Ariminensis 2. sent. distinct. 33. qvæst. 3. & Job. Driedo lib. 1. de grat. & libero arbitrio tract. 5. c. 2. parvulos istos utraque poena, damni sc. & sensus cruciari volunt. Adeo est horum fratrum concordia rara! conf. Jacob Laurentii verbi divini in Ecclesia Amstelodamensi olim administrari fabula Papistica Infernalis Tripartita, qua peculiarem commentar. de Limbo puerorum habet. Nos non multum laboramus in denominandis Limbi hujus cruciatibus à parvulis sustinendis, cum nullibi ejusmodi extare limbum satis cognitum habeamus. Scriptura duo tantum loca post hanc vitam memorat cœlum & gehennam nec purgatorium aut iterumque illum limbum, infantum atque patrum recitat: cumque Christus etiam non pro actuali sed & originali satisfecerit peccato, quod eis meritum fide sibi applicantes salvi evadunt, de quo in qvæst. præced. non opus est, ut ipsi culpam hanc obnegatum baptisimi defectum luant.

QV. IV.

*An libri sanctorum sancti etiam nascantur?*

Affirmant id Calvini de grege Doctores, quorum omnium nomine Massonius id urget & octo argumentorum classes ad obtinendam hanc sententiam disponit, quæ autem paucis discussa vides in B. Danhaw. Musenior. sect. III. art. II. p. 813, conf. Affelmann. P. 1. Syntagm. pm. 866. seqq. & in append. de baptismo qv. IV. Manet illud immotum Christi dictum Joli. III. 6. quod de carne natum est, caro est, h. e. peccatorum sordibus coinqvinatum adeoque non sanctum dicendum.



05 A 2487



5b

PU-17





*Q. B. V.*  
Ecloga Evangelica  
**FEST. TRINITATIS**  
*Qvam.*  
*V. D.*  
Sub Præsidio  
**JO. FRID. MAYERI;**  
SS. THEOL. D. P. P. ORD.  
*P. P.*  
**M. DANIEL HEINRICUS SCHACHT,**

d. XII. Junii Ao. cl<sup>o</sup> lcc LXXXVI. in Audit. Theol.

WITTENBERGÆ

Imprimebat MATTHÆUS HENCKELIUS, Acad. Typogr.

Imprimebat MATTHÆUS HENCKELIUS, Acad. Typogr.